DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis undecimâ menſis Februarii, anno Domini M. DCC. LXVIII.

PRÆSIDE

M. Joan. Franc. Clemente MORAND, Equite, caſtrorum & exercituum Regis nuper Medico, nunc in regiâ Invalidorum domo Coadjutore Medici renuntiato; è regiâ ſcientiarum Academiâ Pariſienſi, necnon Academiarum Stocholmiæ, Matriti, Florentiæ, Rhotomagi, Lugduni ſocio; Regii Medicorum Nanceïanorum Collegii Socio Honorario, illius itidem quod eſt Leodi Aſſeſſore Honorario, Doctore Medico.

VICES GERENTE

M. Simonis VACHER, Regis exercituum in inſulâ Corſicâ Medici; Doctoris Medici.

An detur Hydrops in quo humectantia, diluentiaque hydragogis præmittenda?

I.



YDROPS, aquoſi ſeri ſtagnantis collectio, morbus nec ætati parcens, nec ſexui, nec tempori, nec regioni, in quem innumera tentata, commendataque ſunt remedia, quæ vel incogitanti obtulit fortuna, vel ars medica, aut ab uſu recepit, aut à cognitis & collatis inter ſe morbi ipſius indole, remediorumque virtutibus deduxit, quoties, heu! medentium ſpem deludit & conſilia! Succeſſus infelices numquid in morbi naturam ignotam, latentes ejus cauſas, remediorum-ve penuriam refundendi? Nemo ſanè aſſeret, qui noverit, quot & quam docti Medici, ab Hippocratis ævo, totis nervis intenderint, ut Hydropis indoles diverſas, diverſa ſimptomata, diverſas cauſas ſedulò notarent, à ſe invicem ſecernerent, firmamque de hoc morbo ſtatuerent doctrinam. Nec medicaminum inculpabit inopiam, quiſquis ſcribentes de Hydrope & uberrimos formularum concinnatores legere valebit. Quânam ergo de causâ, aſſumptis hydragogis, vomitoriis, diureticis, diaphoreticis, ſudorem cogentibus, ferro & igne datâ portâ aquis effluxuris, tam multi, denſis aquis miſerè tamen oppreſſi,

fato cedunt ? Omiſſis qui medelam, imò levamen reſpuunt Hydropibus non paucis, in hanc venimus ſuſpicionem ut crederemus, tum in medicamentorum delectu, tùm in adminiſtrationis tempore & modo, aliquid forſan eſſe deſiderandum in eorum gratiam, quorum adhuc non deſperata ſanitas. Aqua intercus ſuî evacuationem poſtulat, inquiunt omnes ; ergo expellentia ſunt adhibenda, aſt eò potentiora, quò fibræ aquis immerſæ laxiores ſunt ac molliores, vividiorique indigent ſtimulo, quo ad contractionem & motum valeant excitari. Hæc lex una fuit ſemper & eadem cunctis in Hydropibus curandis : at legiſlatorum pace dixerimus, præceptum iſtud ejuſdem apud nos familiæ habetur, cujus cætera ſancita, quorum robur & uſus ſuas habent à variis circumſtantiis, à perſonarum conditione, à temporum ſtatu mutationes, à quo deflectere nonnunquam jubent ratio & ægri ſalus. Quas, circà hæc, cogitationes obtulerunt nobis & firmaverunt, tùm morbi adverſus remedia vel decantatiſſima reluctatio, tum felices, mutatâ praxi, ſucceſſus & noſtri & aliorum, eas in hodiernâ diſputatione, Medicorum calculo, pro ſuâ utilitate æſtimandas, fidenter proponimus.

I I.

EX anatomicis conſtat & animalis œconomiæ phœnomenis, nullam eſſe corporis partem perpetuo rore non madidam, tùm ex arteriolarum extremis, tùm ex poris membranarum exhalante ; qui, dum ſanitate gaudet animal, vel foràs inutilis & noxius amandatur, vel vaſis *reſorbentibus*, undequâque hyantibus, receptus univerſali fluidorum circuitui rursùs committitur. Si quis huic aut exhalationi, aut reſorptioni ponatur obex, ſi vaſe aliquo diſrupto liquor effluat ſtillatìm, ſi denique liquoribus foràs expellendis exitus denegetur, vel in toto corpore vel in certis ejuſdem cavitatibus colligitur & ſtagnat ſeroſus latex, adeòque naſcitur Hydrops : cujus ſpecies varias à variis aquæ collectæ receptaculis ſuam accipientes nomen, tot autores noſcendas præbuerunt, ut hanc repetere nomenclaturam, non inutile tantùm ſed faſtidioſum judicemus, de Hydrope duntaxat *in genere* ſolliciti, & de iis præſertim quæ à cauſis & concomitantibus perpenſis, nos ad curationis modum ducant certiores.

Innumeros eſſe fontes ex quibus ſcaturiat, nullus inficiàs ibit, quem medicarum obſervationum collectores adire & evolvere non tædebit, & qui ad morborum, quibus hic ſuccreſſit, indoles & effectus advertet diligenter. Ex iis ſeorsìm & ſimùl penſitatis, planum manet, quoties colliguntur aquæ, toties in ſanguinis & cæterorum humorum circuitu aliquod eſſe vel à ſolidis, vel à fluidis ægrotantibus delictum. Fibrarum debilitatem & laxitatem nimiam (atoniam dicunt) veluti cauſam unicam incuſarunt ferè omnes : quam quidem frequentiſſimam Hydropis & cauſam & comitem ponimus. At non rarò ſeroſi laticis effluxûs parentem & ſociam deprehendi fibrarum nimiam tenſionem & rigiditatem, nemo, ni fallamur, in praxi exercitatus negare verax poterit : aut ſi paululùm dubius hæreat & anceps, audiat Hoffmannum (*a*), Sydenham (*b*), Monro (*c*), Bouillet (*d*), Lorry (*e*), &c. Mulieres hyſtericas, viros melancholicos, improviſo mœrore deturbatos & oppreſſos, ſubitò lentove Hydrope tumentes intueatur atque tangat ; tuncque fatebitur ſpaſmodicam vaſorum conſtrictionem, obſtantem ſanguini regreſſuro, illuviei aquoſæ haud infrequenter fontem eſſe ac principium. De variis humorum depravationibus, veterum ac recentiorum opinionem in unam colligens Bouil-

(*a*) Friderici Hoffmanni opera omnia. Tom. 3. part. 4. cap. 4. de Hydrope.
(*b*) Tractatus de Hydrope.
(*c*) Eſſai ſur l'hydropiſie.
(*d*) Obſervat. ſur l'Anaſarque.
(*e*) De melancholiâ. Tom. 1.

det (*f*), caufam hujusce morbi fanguinis & lymphæ *crafim*, vel denfiorem, fpiffiorem & vifcidiorem, vel tenuiorem, acrem & diffolutam proponit. Quot ex corruptis iftis humorum conditionibus ingruant mala Hydropem parientia, neminem latet. Speciales uniuscujufque Hydropis caufas numerare qui voluerit, Hippocratem pervolutet, adeatque Monro, qui fingulas undequâque fparfas fedulò coacervavit hiftorias. Ad propofiti finem properamus, id unum addentes : ex innumeris diverfisque caufis idem fluit effectus, aquarum fcilicet collectio ; idem-ne erit femper & in omnibus curandi modus ?

I I I.

AQUARUM evacuationem, primum & præcipuum quem fibi attingendum habeat Medicus fcopum, nemo fanè refragabitur. Verumenimverò ad Hydragoga ftatim, tanquam ad facram & unicam anchoram, nobis ne eft confugiendum ? vulgari opinioni infervientibus, qui fuccos, pulveres, bolos, pilulas, electuaria promifcuè ex drafticis & heroicis, (ut aiunt), medicaminibus confecta, vix ægrotantem intuiti præcipiunt, eâ fcilicet mente, ut aquas hinc & inde fparfas & ftagnantes, per vafa reforbentia, in alveum inteftinalem cogant redire, aut circulationi rursùs commiffas, renibus fecernendas tradant, & ad veficam delatas eliminent. Haud raros hujus validiffimæ medendi rationis fucceffus, apud curationum medicarum collectores reperiri fatemur libenter. At ne fucum faciant laudes, Clinicos nobis liceat interrogare, quoties irritam hanc imò damnofam doluerint ? Experti verè loquimur : à refponfis fi non ampliorem, æqualem fanè profperorum & infelicium exituum feriem accipiemus (*a*). Nec mirum ; ut ftagnans aqua fiftulam fubeat inteftinalem, meabilia patere vafa reforbentia neceffe eft, humoremque mobilem effe ac facilè fluentem. Jam verò quoties aquarum aditum in viam inteftinalem præpediat vaforum immeabilitas referanda, aut diluenda ftagnantis humoris tenax fpiffitudo, acredo-ve lenienda, quantòque graviorem triplicem hunc morbum, imò infanabilem efficiat, acris rodensque hydragogorum actio, vix credere eft ; isque folus animo concipiet, qui vires medicamentorum, caufas morbi, ægrotantium idiofyncrafiam, ætatem, fexum, anni tempeftatem, regionem attento animo perpendet.

Quibus Hydropem depellerent, ex drafticorum purgantium familiâ ea deprompferunt Medici, quæ potentiffimâ valent actione (1). Quæ omnia, fi Chymicorum analyfi & Clinicorum judicio fides fit adhibenda, fuam ab acri, cauftico & virulento principio mutuantur agendi virtutem (*b*) ; humores excutiendo fanguinem labefactant & lædunt (*c*) ; tam fæva tormina, tam vehementes fæpè fæpiùs excitarunt convulfiones, lethalesque inflammationes, ut à purgantium numero releganda effe pronuntiaverint doctiffimi inter Medicos & fapientiffimi (*d*). Efto quod, dùm aquofo languore torpidum jaceat corpus, aliundè fanum & robuftum, valida hæc, parcâ tamen & fufpenfâ manu oblata, calcaris inftar, redundantem humorem exfugant, fibras ad tonum & robur reffufcitent laxiores

(*f*) Ibid.

(*a*) *Hac palmaria nobis videtur ratio cur tam pauci ferventur Hydropici, quoniam methodus quâ tractari folent, plerumque tantùm dejectoria eft.* Frider. Hoffm. de purgantibus fortioribus ex praxi medicâ meritò ejiciendis, Tom. 6. pag. 220. In hoc tractatu plurima leguntur exempla teterrimorum à drafticis remediis effectuum. Legas etiam Tulpii obferv. 35.

(1 Radices *jalappa*, *hellebori*, *bryonia*, *iridis*, *foldanellam*, *gratiolam*, *afarum*, *efula* fructus, *trochifcos ex colochintide*, *fambuci* corticem medium, fyrupum è *rhamno cathartico dyagridium*, *elaterium gummi gutta* dictum, antimonialia, mercurialia, &c.

(*b*) Frider. Hoffm. ibid. Eadem majori diureticorum parti inuri poteft infamia.

(*c*) Sidenham, ibid.

(*d*) Cartheufer, Hoffman, Sidenham, &c.

Hydropique valeant mederi. At quis eosdem ab iis sperare audebit successus, dùm vasorum rigiditate, tensione & stricturâ nascitur aquarum coacervatio ? Nonn è contrà timendi locus datur, ne morbosum jam tonum & robur adaugeant horrendas moveant nervorum contractiones, agitatos humores vertant in pejus, & aquarum ejectioni obsistant, nedùm faveant. Unde toties, qui minui debuerat, tumor jam auctior cernitur; eòque ferociæ deveniunt simptomata, ut de ægro brevì conclamatum sit, nisi ad mitiora confugiat prudens Medicus. Nec leviorem labem inferunt Hydragoga, quoties hujusmodi tumor ab obstructis vel hepate, vel liene, paucreate, mezenterio, suum habet principium. Partem enim sanguinis & cæterorum humorum fluidiorem exprimendo, residuam efficient spissiorem, fibras exsiccando, obstructionem arti medicæ indissolubilem indurabunt, viâque resorptioni & egressui per excernentes meatus omni præclusâ, tardam properabunt mortem. Quis à spiculis acribus gravissima non reformidabit mala, cùm lympha stagnans, vel phtysim excepit diuturnam, vel morâ, febrili motu, aut pravi cujuslibet humoris admissione corrodentem induit acredinem; cùm spiritibus penè exhaustis post longos morbos & evacuationes immodicas corpus languet effœtum ? Vetat igitur morbi causa, vetant simptomata, ne fallaci & superbo decepti nomine, pharmacis hisce temerè utamur. Nec minores imperant cautelas, sedulò dignoscenda ægrotantis idiosyncrasia (*e*) purgatu facilis difficilis-ve, temperamentum sensu vel exquisitiori vel obtusiori donatum, regio, anni tempestas.

In his atque aliis ad hunc modum factis aquarum coacervationibus, in modò enuntiatâ rerum conditione, cùm æger non tantùm non juvetur assumptis Hydragogis, sed ingravescat malum, superest ut ab assueto tramite deflectentes, ab Hippocraticis præceptis, à methodicâ medendi ratione, ab experientiâ monstratam viam ingrediamur, diluentium nempe & humectantium præviam administrationem.

I V.

QUOD *si non turbetur alvus, medicamentum deorsùm purgans, ex quo aqua purgetur, exhibeto* (*a*) Hancce præceptionem ex ipsiûs naturæ sanantis (*b*) opere deductam, pro lege unicâ omnibusque sufficienti tenentes, quonam fato inter instituendam morbi nostri curationem, alterum illud de cautelâ in purgationibus adhibendâ toties enarratum, nunquam inutile, nunquam omittendum edictum, *corpora ubi quis purgare voluerit, facilè fluentia reddere oportet* (*c*), oblivioni prorsùs dedisse videantur haud pauci, dictu nobis est perdifficile. Numquid vanam hanc & à quolibet Hydrope alienam reputaverunt prærequisitam ventris lævitatem, humorum dilutionem ? Quàm aliter sensit divus senex! *Extenuatus quidem*, inquit, *iisdem* (purgantibus) *ad curationem uti debet, priùs autem ejus corpus fomentis adhibitis præhumectare oportet, ut medicamentis magis obediat* (*d*): *ventrem enim medicamentis celeriter moveri convenit, ut convalescat æger* (*e*); & de Hydrope *à potu* differens, *Potissimùm verò ejus aqua ex quâ in morbum incidit, quàmplurimùm propinatò, uti ejus ventrem commoveat, & multùm demittat, sic enim præcipuè sanum reddes* (*f*). Ex his atque aliis circà curandum Hydropem præceptis, quæ per an-

(*e*) Sydenham, tractatus de Hydrope.

(*a*) Hyppocr. de morbis, lib. 2. pag. 44. Edente Fœsio.

(*b*) Ab Hydrope detento, si aqua secundum venas in alvum fluxerit, solutio fit. Aph. 14. sect. 6.

(*c*) Aphor 9. sect 2.

(*d*) De internis affect.

(*e*) Prædict. lib. 2.

(*f*) De internis affect. hoc præceptum confirmant exempla non pauca, & præsertìm puellæ cujusdam historia, *quam torquebat Hydrops lethalis*: hæc, invitis Medicis, *tantam aquæ quantitatem bibit, ut rumpi videretur; sed alvi fluore oborto, pristinæ sanitati restituta convaluit*. Dominic. Paranol. observ. 24. Pentecost. 2.

guftos differtatiunculæ limites hùc referre atque interpretari non licet, abundè conftat, humectantium & diluentium, ut ut Hydropi primâ fronte adverfantium utilitatem, imò neceffitatem, quibufdam faltem in cafibus, ab ipfâ morbi fævientis naturâ & corporis ægrotantis conditione curationis & ordinem & media elicientem præceptorem noftrum agnoviffe. Verùm etiamfi noftræ opinioni non æquè faveret, ac reipsâ favet Hippocrates, quam utile fit in quibufdam Hydropis fpeciebus, ab aphorifmo, *facilè fluentia reddere oportet*, non refilire, morbi ipfiùs fimptomatumque fæpiffimè obviorum defcriptio folida, fanationum hiftoriæ fufficienter demonftrabunt.

Frequenter occurrit in praxi fpecies Hydropis, quæ largo potu, fero lactis, fanguinis miffione feliciter tollitur; contrà verò folitis artibus exacerbatur (*g*). Generaliorem hanc affertionem, cujus ut veritas & ufus definitus magis innotefcat, ad particulares, quibufdam allatis exemplis, fpecies revocari, poftulat propofiti ratio. Is eft apud melancholicos nerveos (*h*) [de mulieribus hiftericis eadem dicta funto] ad tenfionem feu vibratilitatem habitus, ut vel leviori mœrore, vel minimo motu improvifo, vel minimâ irritatione convellantur: quæ fibrarum conditio, dùm à ftimulantibus multa patitur, à lenientibus fanè & relaxantibus fuaviffimam hauriet medelam. Si quis ergo totus nerveus Hydrops corripiatur, hanc hoftilem priùs remittas tenfionem neceffe eft, quàm ad aquas evacuandas te accinxeris. Hac enim neglectâ cautione, omnia movebis incafsùm, aut miferum brevì letho dabis. (*i*) Aliam melancholiæ fpeciem, ab atrâ, acri & corrodente bile, Hydropi præbere originem norunt omnes. Quàm fortiori tunc jure, acribus omnibus rejectis, fpiffum hunc, tetrum & virulentum humorem, lenientibus ad dulcorem, diluentibus ad fluiditatem præparare convenit (*l*), ut cum aquis fimùl foràs amandetur! (*m*)

(*g*) Spon. aphorifmi novi, pag. 363.

(*h*) Lorry de melanchol, part. 1. tom. 1.

(*i*) Cœnobita quidam, conftitutione fanguineâ donatus, & fanitate ab incunabulis optimâ, urbanâ morum integritate, hilaritate mentis commendandus, diuturniori decem abhinc annis conflictatus mœrore, melancholici & faciem, & motes induerat. Anno 1760, tunc in pago dicto VILLERSCOTTRETS Paftoris munus illoadimplente, dita crefcentis hydropis fimptomata aperientibus, diureticis, purgantibus, hydragogis validiffimis, per quatuor & ultrà menfes debellare Medicus fruftrà conatus eft. His ità fe rebus habentibus, primam mali labem, varias formas edoctus, tractabilem hepatis turgefcentiam, aquatum ftagnationem manu facile percipiendam, à melancholicâ folidorum & fluidorum *crafi*, medicamentorum fpiculis acribus excitandâ, productam fufpicatus fum. Opinionem conftabilietunt parvus, denfus tardusque pulfus, acris & micans oculorum acies, ira facilis & quafi fuffocans, ubi quid ingratum offetebatur, fubfequens vigilia pertinax & ifchuria, prementi digito vix cedens cutis. Ità e-virore pallefcens totus turgebat corporis habitus, ut nec fpirandi nifi erectâ cervice, nec manus, nec pedes movendi fupereffet facultas; urinâ plutibus abhinc diebus guttatìm tantùm & ratò ftillante. Neglectis pilulis & potu ex radicibus *afparagi*, *eringii*, *brufci*, &c. potum ex decocto femine *lini*, infufis *verbafci*, *althea*, *tiliæ* floribus, foliis *meliffæ* propinatum forbuit liberaliter. Plenioti alveo & copiofiùs effluentes tunc urinæ, eos mihi animos & eam fpem dederunt, ut illum jam fidentiorem in balneum defcendere juffetim. Me jurè ac prudentet à tritâ viâ deflexiffe comptobavit eventus. Novem etenim elapfis diebus, novemque balneis affumptis, placido fomno potitus, jacente corpore decubuit: folo potu fuprà fcripto ufus, urinis abundanter ejectis, vacuo abdomine, citrà defatigationem obambulavit. Languente tamen appetitu, & cruribus adhuc ædemate diftentis, lenia ter adhibui purgantia, & aquam leviter chalybe & dulci fpiritu nitri munitam pro potu impetavi *; quibus intrà unum menfem ufurpatis, favente numine, ad facra munia rediit integer.

* *Acidulas aquas laudant & præcipiunt multi Medici excellentiffimi*, RIVERIUS, HOFMANNUS, BOERHAAVIUS, MONRO, &c.

(*l*) Lorry de melancholiâ, part. 2. pag. 396,
Boerhaavii Aphorifm. de melanchol.

(*m*) Compendii civis 49 annos natus, jam à viginti quinque, unoquoque vere et autumno febre intermittente vexabatur, quæ abfque ullo medicamine evanefcebat. Anno 1764, curis, mœrore, laboribus obrutus, in graviorem continuam incidit, quam vigiliæ, lipothimia, appetitûs proftratio comitabantur, cum pulfu parvo, duro & celeri, linguâ flavâ, fordidâ, tumente hepate, dolente ventriculo, pedibus ædematofis, diftentoque abdomine: urinæ alternatìm pellucidæ fluebant & turbidæ, alternatìm decolores & rubræ. Jam fæva fuffocans & ficca tuffis miferum ftrangulabat, tunc temporis per aliquot horæ minuta infanientem, vixque deglutire valentem. Colore fufco & livefcente fœdabatur

Ex hâc doctrinâ eventu comprobatâ, quivis facile colliget quàm utilis & felix ſit explanata in curando Hydrope ab obſtructis hepate, liene, mezenterio, diluens & humectans methodus, quæ liquoribus inſpiſſatis fluorem conciliat, uſa penetrando & laxando, vias aperit reſorptioni & ſaltem, ſi ſola non ſanat, locum facit medicinæ (*n*). Eam imprimis neceſſariam, pené dixi unicam, & omnibus præcellentem laudare juvat, cùm à mœrore aut defatigatione nimiâ (*o*) ſuam trahunt originem obſtructio atque Hydrops. Ad alias periculoſiores ſanè Hydropis ſpecies deveniamus

Aqua intercus quæ ex acutis morbis oritur, mala, inquit Hippocrates, & pauci evadunt (*p*). Verum quidem ſi draſticis oppugnetur Hydrops; imbecillum enim corpus peſſumdat illorum actio vehementior: at dummodò, jubente magiſtro, *præhumectetur corpus*, diluantur humores, ad ſanitatem faciliùs reducetur æger. *Religioſus quidam habebat aſcitem cum tympanite, & tabem cum febre hecticâ; copioſum bibit ſirupum acetoſum cum omnibus quæ provocant urinam, & ſanus evaſit* (*q*). Legas, velim, puelluli à variolis, à diarrhæâ Hydrope diſtenti ſanationem, diluentibus, humectantibus, leniterque aperientibus adhibitis (*r*), poſt irrita diuretica & hydragoga. Legas pariter militis hiſtoriam ex aſcite & hydrope pectoris, poſt longam dyſenteriam, lactis ope & leniter aperientium, convaleſcentis (*r*). Priores partes diluentibus, humectantibusque concedendas, quotieſcumque febrim habet comitem Hydrops, nullus recuſabit qui febris naturam callet, victumque febricitantibus congruum (*ſ*). Quid plura! tanta fuit aliquando ex parte fibrarum tenſionis adversùs purgantia & diuretica reluctatio, ut, vel decantatiſſimis in uſum vocatis, rem in pejus ruere ſentientes viri doctrinâ non magìs quàm

vultus, frigore rigebant extrema, cùm vocatus inviſi. Emetica, purgantia, diuretica, vinum hiſpanicum quo deficientem refocillaret animam, liberaliter obtulerat Chirurgus. A ſpiſſâ, tenaci, acri & cauſticâ bile, hæc dira excitari ſimptomata dijudicans, fomentis abdomen præhumectati, emollientibus ablui & leniri enematibus, dilui bilem ſerò lactis, decoctis herbis ſaponaceis largâ ſatis copiâ potandis curavi. Nec à propoſito movetunt me horrendum in modum turgeſcens abdomen, crurum cutis mox rumpenda. Miteſcentibus ſimptomaribus, paucos poſt dies, per ſeceſſùm fluete cœpit bilis ſubfuſca prior, dein flava, liberioresque expulſæ fuerunt urinæ. Has tunc diureticis valentioribus promovendas, illam purgantibus ejiciendam eſſe exiſtimavi. Aſt imprudentèr: ſteterunt & bilis, & urinæ; recruduerunt ſimptomata, nullaque remanſit ſpes ſalutis, niſi diù continuatis diluentibus, leniter aperientibus, laxantibusque mitiſſimis, quorum ope ipſi reſtituta fuit ſanitas.

(*n*) Se nullâ aliâ methodo, quam eâ quæ unicè ad obſtructiones viſcerum tollendas, & excretiones reſtituendas directa eſt, nempè lenibus aperientibus curam inſtituiſſe, & benedicente numine feliciter perfeciſſe affirmat Hoffmannus de hydrope, obſ. 2.

(*o*) Turmæ Ductor apud Equites Selopetarios, mattio animo indulgens, nimiis exercitationibus & ſudoribus exhauſto corpore, curis & mœrote vexatâ mente, tuſſi ſiccâ, longâ & pertinaci, vigiliis excruciatus, appetitu proſtrato, urinis rubro colore tinctis, parcâ copiâ fluentibus; aquâ diſtentis pedibus, cruribus & abdomine, Lutetiam devenit menſe Aprili anni 1767. Narratis quæ ſuprà, tumorem palpandum præbuit inſignem, durum, totam regionem hypocondriacam ſiniſtram, & partem epigaſtricæ occupantem, & ad umbilicum uſquè protenſum. Pulſus digitum feriebat fortis, magnus & tardus; fibræ rigidæ digito prementi vix cedebant. Unam aut, viribus ſuſtinentibus, alteram aquæ ſequanicæ frigidæ libram impetavi manè porandam, voratis anteà pilulis è ſapone & mille-pedum pulvere grana octo ponderantibus, horâ meridianâ iterandis. Vix ſeptem diebus elapſis, ſilente tuſſi, vigente appetitu, pacatus rediit ſomnus; equitationem cui valedicere illum coegetant, & hypocondriorum & pectoris dolores, valuit exercere. Sensìm evanido, abundè labentibus urinis, tumore, molliores fibræ aliis remediis obſtructioni reſerandæ idoneis locum fecêre. Plebeia hæc remedia ridens quidam, ad aliud ex elixirii proprietatis, tincturæ martis pari doſi, duplâque ſirupi è quinque radicibus aperientibus, ſimùl mixtis, cochleatim manè, meridiè & veſperè, in ſex decocti ex chycoreo ſilveſtri unciabus ſorbendum, reluctantem impulit. Duobus tantùm hauſtis cochlearibus, ſæviêre denuò tuſſis, pectoris & hypocondriorum dolores, minutis urinis, pedes rursùs intumuere & crura; quæ ſimptomata fugaverunt iterùm aqua ſequanica & pilulæ ſaponacæ.

(*p*) Prænot. lib.

(*q*) S. B, Montagnanus, conſil. 868, apud Burnet, theſaur medic. pract.

(*r*) Bouillet, obſerv. 5. ſur l'Anaſarque.

(*ſ*) Journal de Médecine. Août 1757.

(*t*) *Victus humidus febricitantibus omnibus confert.* aph. 19 ſect. 1. Conſulendus eſt inſuper Alexander Trallianus, de iis qui aquâ inter cutem cum febre laborant. lib. 9. cap. 3.

prudenti audaciâ laudandi, (u) anodinis solùm & venæ sectione multoties iteratis, nervorum irritationem & contractionem compescere valuerint, viamque parefacere expeditiorem humoribus secernendis. Quidni ergo tantorum virorum vestigiis insistentes, fibras aliquandò relaxandas, lymphæ stagnanti fluorem conciliandum esse assereremus? totque exemplis confirmatam methodum amplecteremur; toties adhibendam, quoties à purgantibus drasticis arcent medentem nimia fibrarum tensio, vel humorum tenacitas & acredo; eòque commodiorem & tutiorem, quòd inter tonica, purgantia, diuretica & aperientia, ea, quæ mitiori commendantur virtute, minime respuit, imò in sui consortium advocat, & valentiori medicinæ campum aperit, sola tamen aliquandò sufficiens?

V.

RATIONI quamvis & experientiæ consonam, vulgatiori tamen doctrinæ nostram adversari, multisque premi posse argumentis non diffitemur; ad quorum solutionem eò libentiùs descendere nunc juvat, quòd clariorem indè lucem, majusque robur acceptura sit. Nimiâ, inquiunt, humoris abundantiâ morbus enatus, sibi ipsi, vasa comprimendo, fibras emolliendo macerandoque à vi tonicâ prorsùs delapsas, est incrementi causa. Ergo novâ humorum abundantiâ, à diluentibus, lenientibus, humectantibusque suppeditatâ, morbus adaugebitur, fibrarumque inertia fiet immedicabilis; undè Celsi judicium, *Balneum & omnis humor his alienus est* (a), consectantibus Medicis, tot gratulantur absque potu, drasticorum aliorumque stimulantium auxilio ad salutem perducti. Respondemus.

1°. Omnibus & singulis Hydropis speciebus præviam diluentium, lenientium & humectantium administrationem accommodatam, nedùm asseramus; illius è contrario limites & usum sedulò designavit hæc, quam ducem sequimur probatque experientia, præceptio, *facilè fluentia reddere oportet corpora*, quoties præ nimiâ fibrarum rigiditate & stricturâ, præ humorum tenacitate, purgantibus resistunt (b) His non reluctantibus impedimentis, molli, flaxido torpente corpore, vel gravissimo urgente simptomate moras nullas perpessuro, vulgarem methodum non solùm non repudiamus, sed eam perutilem, tutam proponimus, feliciterque tenendam haud rarò sumus experti.

2°. Exceptionibus nonnullis coercendam esse methodum exsiccantem sensit & ipse Celsus, dùm ait, *Balneum rarum res amat* (c); undè conclusio patet, amat igitur aliquandò, nec balnea semper Hydropi sunt aliena, cùm nempè à causâ calidâ gignitur Hydrops, & arti communi adversantur morbosa vel innata fibrarum rigiditas & contractio, tenax humorum spissitudo. Idem & annuit doctissimus Monro, qui humoris cujuslibet hostis infensissimus, tunc tamen, ne ad sui perniciem à nobis hujusmodi Hydropici dimittantur, anceps & dubium suadet potiùs experiri remedium quàm nullum (d). Idem suadent Riverius & Spon.

3°. Cùm ab aquosis fortiùs arceat objecta fibrarum laxitas, huic diutiùs, paucis tamen immorabimur, quid ab eâ metuendum liberè proponentes. Quas alluit liquor hydropicus, fibras cutis musculares que substratas, molles adeò, flaccidas, omnique virtute elasticâ & tonicâ destitutas, ut vix repleri possit fovea digito impressa, in omnibus ferè Hydropibus tumere confitemur. Verùm enim verò fibras ventriculi, intestinorumque motrices remediorum actioni subjectas, eâdem relaxatione pessumdatas torpere, licet conjecturâ ducti autumaverint autores, nedùm probaverit ullus unquam, dubitandi copiam sinunt, in Hydrope cada-

(u) Spon. aphorism. novi. pag. 367. Mead de hydrope monita & præcepta practica. Porte, Journ. de Médecine, Juillet 1759.

(a) Cornelii Celsi. lib. 3. cap. 21.

(d) Idem ab experientiâ didicerat Riverius praxis Medic. Lib. 9. cap. 6 de hydrope.

(c) Ibid.

(b) Essai sur l'hydropisie, pag. 64.

verumque ſectionibus obſervata. Ubì quis vel aquâ inter-cute, vel aſcite, vel alio quovis Hydrope diſtenditur, ex ſingulo corporis puncto, in partes coacervandis aquis dicatas, copioſus irruit omnis humor, colliqueſcentibus tabeſcentibusque cæteris; hinc, ſecto cadavere, ſæpè ſæpiùs ſchirroſa, ſicca, indurataque viſcera, hepar, lien, pancreas, mezenterium, arentes, inflammatæ, ſyderatæ, corroſæ ventriculi inteſtinorumque tunicæ reperiuntur. Dùm diffluunt partes aquis immerſæ, exſuccas reliquas ardere teſtantur inſuper ſitis urens, calor acris, inflammatio & alvi ſiccæ *excrementa caprini ſtercoris pilulis ſimilia dejicientes* (*e*). Remotâ igitur omni præconceptâ opinione, nonne arida hæc viſcerum conditio, metum à nimiâ fibrarum laxitate & mollitie procul fugans, prudentem ſuadet, quâ lethalia miteſcant ſimptomata, humoris leniatur acredo, diluatur ſpiſſitas, lubricatis inteſtinorum tunicis motus reſtituatur periſtalticus, emollitis reſeratiſque venarum reſorbentium oſculis, humoris hydropici in fiſtulam inteſtinalem pateat facilior ingreſſus, exitus paretur, lenientium atque humectantium adminiſtrationem. Verùm hæc ſatis ſuperque ſunt, cum Medicos alloquamur, ſagaci quorum ingenio pauca ſufficiunt oſtenſa, ut veritas eluceat. Vulgarem curandi methodum minimè rejicientes, ab eâ tamen nonnunquam eſſe recedendum, ratione & experientiâ edocti concludimus:

Ergo datur Hydrops in quo humectantia diluentiaque hydragogis ſunt præmittenda.

(*e*) Hippocrat. Coact. prænot. 481.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Philippus QUERENET.	*M. Franciſcus* PORTIER DE LA HOUSSINIERE, *Chirurgiæ, gallico idiomate, Profeſſor deſignatus.*	*M. Joſephus* LALLEMANT, *Eques, è ſalubri Staniſlai I. Poloniarum Regis, dùm viveret, conſilio, nec-non Collegii Regii Medicorum Nanceïanorum Socius Honorarius.*
M. Carolus-Ludovicus - Franciſcus ANDRY.	*M. Joannes - Baptiſta Alexander* MAIGRET.	*M. Petrus* POISSONNIER. *è Regiâ ſcientiarum Academiâ Pariſienſi, Regis in Sacro Conſiſtorio Conſiliarius, Regi à conſiliis medicis, in Regiis Arcibus maritimis & Coloniis totius Medicinæ Præfectus, Imperialis Academiæ Petropolitanæ, nec-non Regiarum Stokolmienſis & Divionenſis Academiarum Socius, Profeſſor & Cenſor Regius.*
M. Matthæus-Thomas LA CASSAIGNE.	*M. Joſephus* PHILIP.	*M. Antonius* LECAMUS, *Academiarum Regiarum Rupellenſis & Ambianenſis, Societatiſque Litterariæ Catalaunenſis Socius.*

Proponebat Pariſiis JOANNES-CAROLUS DESESSARTZ, Lingonenſis, Doctor Medicus Rhemenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, theſeos author A. R.S. H. 1768, â ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facult. Medic. Typographi, 1768.